DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

DE

Natura & Numero Univerſalium;

Quam,

Cum Annexis Corollariis,

Sole Juſtitiæ Illuſtrante,

Generoſi aliquot Adoleſcentes, ex *Athenæo Leonardino*, Almæ & Inclytæ Academiæ *Andreanæ*, cum Laurea Magiſteriali hoc anno emittendi, publice propugnabunt *Andreapoli*, ſub præſidio Magiſtri *Thomæ Tailzieri* ibidem *Philoſophiæ* Profeſſoris.

Ad Diem *Julii* 16, Horis locoque ſolitis.

EDINBURGI,

Ex Typographœo *GEORGII MOSMAN*, *Anno Dom.* 1700.

Nomina Candidatorum.

Alexander Chalmers.
Alexander Porter.
Andreas Anderſon.
Andreas Ramſay.
Andreas Watſon.
Carolus Faa.
David More.
Georgius Clephane.
Georgius Lumſden.
Jacobus Goodſire.
Joannes Coldſtream.
Joannes Ballandine.
Joannes Fairfoul.
Joannes Greig.
Joannes Halket.
Joannes Harvy.
Joannes Steedman.
Joannes Wood.
Patricius Duncanſon.
Robertus Pringle.
Robertus Stewart.

Illustrissimo, Potentissimo Nobilissimoque,

D. D. PATRICIO

Comiti de *Marchmount*, Vicecomiti de *Blazonberrie*, Domino *Polwarth* de *Polwarth*, *Redbraes* & *Grinlaw*,

Magno *Scotiæ* Cancellario;

Augustissimi *Britanniæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* Regis Consiliario Intimo, Integerrimo, Prudentissimo:

Mecænati suo Benignissimo, æternum suspiciendo

S. P.

AUdeat, *Mæcenas*, sub potentissimi tui nominis patrocinio hæc lucem videre Disputatio, rudis, fateor, & inculta, qualis esse solet ingenioli mei parum politi fœtus; materiam vero si spectes, sublimis, & subtilitare nobilis, tanto digna Patrono, quem neque abdita naturæ mysteria latent, neque subtilissimæ & a sensibus remotissimæ Speculationes fugiunt. Tua dabit Gratia formam; sub tui Favoris umbone tuta, ridebit malevolorum dicteria & Ignorantiam. Ad tuam, tanquam Tutelaris Numinis Aram, se sistit Supplex & venerabunda: Te sentiat propitium, *Heroum Consummatissime*, quem claris Natalibus & longa nobilissimorum Attavorum serie illustrem, ad summum, post Regem, Honoris & Potentiæ fastigium, evexere; nec astutiæ, nec cæcus fortunæ favor, sed Patriæ, Patriæque Patri, intemerata Fides, Mens nullis Fortunæ procellis quassata, Rempublicam, in rebus etiam maxime arduis, administrandi rara tibique propria Dexteritas: aliæque innumeræ haud imitandæ Virtutes, quibus,

bus refulget *Orbis Britannicus*, quaſque ut ſuſpicit hæc ætas, ita non ſine ſtupore recolet ſera poſteritas. Tuas grata mente & alacri celebrabunt per ſecula Laudes, ſpiſſæ Doctorum Coronæ, quoties in memoriam revocant (quam non delebit ulla Annorum ſucceſſio, aut rerum viciſſitudo) quam paterno favore, etiam inter graviſſima Reipublicæ negotia, quibus multiplicibus diſtentus es, & ſplendidiſſimos honores, quibus cumulatiſſimis oneraris, Muſas, Muſarumque alumnos, Academias, Academicos, amplecteris, conſolaris foves, adauges; Te, Nobilium Doctiſſimum, Doctorum Nobiliſſimum, Literarum & Literatorum Patrem, Patronum Clementiſſimum, Benigniſſimum, Munificentiſſimum, *Scotiæ* Regni Decus & Ornamentum memorabunt, quamdiu bicipitem incolent *Parnaſſum*, doctæ Sorores, & magnus, ſonoram quoties tangit Citharam *Apollo*. Accipe ſed facilis levidenſe hoc munuſculum, ſinceræ Gratitudinis & perpetuæ obſervantiæ Τιμητήριον: Farre litat, cui non eſt Thus. Te Deus quam diutiſſime ſoſpitem conſervet, diu vivas, lætuſque interſis populo *Scoticano*, ſero redeas in Cœlum; quod animitus vovet

Illuſtriſſimi tui Nominis

Cultor Devotiſſimus,

THOMAS TAILZIERUS Præſes.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

DE

Natura & Numero Univerſalium.

Theſis I.

IN tota, quantum novi, Philoſophia nec ſubtiliores, nec ab ingenio vulgari remotiores reperiuntur, quam quæ de Univerſali moveri ſolent quæſtiones; quod fatebuntur omnes quotquot ſubtiliſſimas *Scholaſticorum* diſſertationes attentius paulò perlegere dignantur. Cujus bene conſcius videtur clariſſimus *Comptonus*, cum *Par.* 1 *Diſp.* 26 *De Univerſali in Communi*, ‘ Tot, ‘ dicit tamque ſpinoſos hic nodos ac nexus occurrere, ut ‘ clarè omnes evolvere per ſane ſit difficile, ſine præciſionum vero ac diſtinctionum præſidio fermè impoſſibile. Et licet antiqui, non minus ac recentiores Peripatetici hanc rem miſerum in modum tractarint; non tamen ab Autorum vitiis cavillandi anſam arripere debent, ut hodie ſolent, perplurimi novaturientes Philoſophaſtri, rerum ſublimiorum æque, ac ſtupidiſſimum pecus, ignari. Multas, fateor, litigioſas nimis, & ad nauſeam prolixas ſuper hac re contexunt Diſputationes Scholaſtici, quibus obſcuriorem eandem, quam dilucidiorem reddunt; multiſque præclaris ingeniis nimium faceſſunt negotium: unde potius quam ob ipſius rei difficultatem conqueſtum fuiſſe videtur *Melchiorem Canum*, *lib.* 9. *de loc. Theolog. cap.* 7. ‘ quod licet ſe ingenii non nimis tardi eſſe dicat, quæſtio‘nem tamen de Univerſali (quamvis in ea multum ſe deſudaſſe, temporiſque ‘ non parum ac diligentiæ poſuiſſe teſtetur) nunquam capere potuerit. Verum pro iis quid, quæſo, hoc facit, qui ignaviæ & otio dediti, ſenſibuſque immerſi, nil ſupra vulgarem ſortem vel audent ſapere, vel ſatagunt. In Scholaſticorum eorumque ſequacium ſcriptis varia de Univerſalibus offendi poſſunt minus ſane utilia, quæque ſine ullo ſolidæ eruditionis diſpendio omitti potuerint: Ergo omnia, quæ de iis tradiderunt, aut quæ tradi poſſunt, ſunt rejicienda, ſi libere & ingenuè velimus Philoſophari, nulla ſane ſequela. Hoc itaque nobis negotii hac diſſertatione damus, nonnulla utiliora, ſed ſimul difficiliora & ſubtiliora de natura & numero Univerſalium, quam fieri poteſt clare & diſtinctè, ſed breviter perſtringere.

Quæſtiones de Univerſali etſi difficillimæ non tamen prorſus ſunt negligendæ.

II.

Describitur Universale latissimo sensu sumptum.

Universale, latissimo sensu sumptum recte describunt *Conim. in præfat. ad. Isag. Porphy. quæst. prim. art. prim. parag. prim.* & *Fonseca Metaph. lib. 5to. cap. 2. quæst. 1. Sect. 1. unum quid ad multa pertinens*: simili plane modo definit. *Francisc. bonæ spei Log. trac. 2. disp. 1. par. 1.* ut *& Rod. de Arriag. disp. 4. log. §. 1. par. 2. Unum dicens ordinem ad multa*: quemadmodum & cæteri ferè omnes.

Variæ Universalis divisiones.

Dividitur autem in *Complexum*, & *Incomplexum*. *Complexum* aliud non est, quam propositio Universalis, quæ plures particulares sub se continet, vel commune effatum, ex quo plures deduci possunt conclusiones. Quod non male dicatur *Universale* in *affirmando* aut *negando*, vel *Universale* in *Probando*, sive *demonstrando*. *Universale incomplexum*, sive *simplex*, ut supra allegato loco bene definiunt *Conim.* est, *quicquid spectat ad multa & non habet complexionem propositionis*. Universalia hujusmodi perplurima reperiuntur, multumque inter sese diversa; aliud est enim Universale in *patiendo*, aliud in *cognoscendo*, aliud in *possidendo*, &c. Vulgatissimæ autem species à nonnullis tres, ab aliis quatuor, ab aliis adhuc quinque enumerari solent. *Fonseca loco supra* citato tria assignat Universalia, in *causando*, *significando*, & *prædicando*. *Oviedo controvers.* 3. *punct.* 1. *parag.* 2. quatuor, *Principium* ex quo *plures possunt inferri Conclusiones Universale in significando*, *in causando*, *& in Essendo*; quorum primum est Universale *Complexum*, de quo supra. *Conim. parag.* supra nominato quatuor, in *causando scil.*, in *significando*, *Essendo* & *prædicando*. *Franc. bonæ spei disput.* 1. supra nominat. *resolut.* 2. quatuor in *causando*, *significando*, *repræsentando* & *prædicando*, *Joannes Carramuelius Lobkowitzius Metaph. lib.* 4. §. 1. *art.* 1. *par.* 2. Universale quadrifariam dividit, nimirum in Universale in *causando*, *repræsentando*, *Essendo* & *prædicando*. *Comt. disput.* 26. *supra allegata* §. 1. quinque assignat, in *causando*, *significando*, *repræsentando*, *Essendo*, & *prædicando*. Distinguit etenim inter Universale in *Essendo*, & in *Prædicando*, ut constat ex *disput.* 32. *log* §. 1. *de prædicabilitate par.* 1. ‘ dicit enim à Universale in Essendo sive Metaphysicum esse ‘ ipsam naturam jam per abstractionem factam unam in intellectu & multiplicem à parte rei; Universale vero in Prædicando, sive logicum, esse eandem ‘ istam naturam abstractam, prout concipitur alio actu reflexo convenientiam ‘ inter ipsam & singularia percipiente, per quem actum apta redditur natura, ut ‘ de illis affirmetur seu prædicetur. Ad harum aliquam enumerationum referri potest quævis quorumlibet Philosophorum, nec inter istas discrepantia est, nisi in vocibus; cum quæ à nonnullis diversis vocabulis distinguuntur & designantur, alii uno eodemque complectantur: quæ enim nonnulli dividunt in *Universalia* in *significando*, & *Universalia* in *repræsentando*, alii uno nomine *Universalia* in *significando* appellant.

III. *Uni-*

III.

Univerſale in *cauſando* à pleriſque definitur *Cauſa efficiens Univerſalis*, h. e. communis omnium, vel ſaltem plurium (intellige diverſæ ſpeciei) effectuum cauſa: ita *Comm. ante dic. quæſt. art. par.* 2. *Compt.* & *Ovied. ſupra citatis locis*, *Fran. bonæ ſpei verſol.* 2. ſupra nominat. diſput. *Kecker. lib.* 1. *Syſtem. log. pag.* 48. *Schei.* 1. *Adetaph. cap.* 22. *par.* 25. & alii innumeri. *Burgerſaicius* autem in *Synops. log. lib.* 1, *parag.* 58. cauſam univerſalem definit. *quæ eadem efficientia concurrit cum aliis cauſis ad plura effecta.* Cui in notis ſuis aſſentitur clariſ. *Adrian. Heereboord*, ut & alii non pauci Recentiores. Definitur Univerſale in cauſando.

Sive hoc, ſive iſto modo definiatur, lubentiſſimè agnoſcimus Univerſale in *Cauſando*: Deus etenim Opt: Max: uno eodemque individuo Actu omnia cauſat, & cum omnibus Cauſis ſecundis in Effectibus ſuis producendis concurrit: Variæ quoque Cauſæ ſecundæ perplurima diverſæ Speciei producunt Effecta, quorum propterea cauſæ communes ſunt dicendæ. De hac itáque Univerſalis Specie nullam movebimus Litem. Omnino datur.

IV.

De Univerſali verò in Eſſendo majus nobis faceſſunt Negotium non pauci verè docti, clariſſimique Viri, ſed in hoc Negotio vel minus rectè verſati [eorum Pace dixerim] vel admodum profectò litigioſi. Quatuor ſunt celebriores Philoſophorum diſcrepantes Sententiæ, *Platonis* ſciz. *Scoti*, & *Scotiſtarum*, *Fonſecæ*, *Ariſtotelis* ejuſque *Sequacium*. A Sententia *Platonis*, quam ipſi aſcribit *Ariſtoteles*, variique *Peripatetici*, faciemus Initium: Contendunt enim *Platonem* Ideas quaſdam, ſive Species ſtatuiſſe Univerſales, ab Individuis, ſpecialim Senſibilibus, realiter diſtinctas & ſeparatas, quæ naturæ ſunt univerſales, quibus ſingularia participant, quæque horum ſunt Cauſæ: Aſſerunt V. G. Platonem docuiſſe univerſalem eſſe hominem a Petro, Paulo, cæteriſque ſingularibus hominibus realiter diſtinctum; ad cujus imaginem omnes homines ſunt efformati: Univerſalem eſſe Equum, diſtinctum a Cyllaro, Bucephalo, cæteriſque individuis Equis, cujus hi quædam ſimulacra tantum, umbræ, ſive imagines ſint. Quatuor diverſæ opiniones de univerſali in Eſſendo.

Verum de hujus Autore doctrinæ diverſum ſentiunt Philoſophi, alii ipſius Platonis eſſe volunt, alii negare videntur; *Ariſtotelem* ejus Diſcipulum hanc ſuo præceptori opinionem attribuiſſe verisimile eſt, ſi inſpiciamus *lib.* 1 *Metaph. cap.* 6 *Text.* 6, ubi hæc legenda ſunt verba: "Et tamen in iis rem univer-'ſalem quæreret, mentemque primus ad definitiones applicaret, ejus doctrinâ 'ob eam cauſam probata, quod de rebus univerſalibus diſputaret: id ita ac-'cepit, quaſi de aliis rebus, non de ulla earum, quæ ſenſibus percipiuntur, 'ejuſmodi definitiones fierent: Neque enim fieri poſſe ut communis definitio 'ullius rei ſit earum, quæ ſenſibus ſubjectæ ſunt, ut quæ ſemper mutentur. Itaque hujuſmodi quidem Entia Ideas appellavit; quæ vero ſenſibus percipi-'untur, Incertum eſt an ea fuerit Platonis opinio, quæ ipſi vulgo tribuitur.

'untur, præter hæc esse & ab his omnia dici voluit Participatione enim plera-'que univocorum ejusdem nominis esse cum formis asseruit. Et *cap.* 7 *ejus. lib. text.* 33 *&* 34 quorum sunt hæc verba 'Præterea formæ non modo sensi-'bilium exemplaria erunt, sed etiam ipsarum formarum veluti genus, tanquam 'formarum genus, ex qua re fiet, ut idem sit exemplar atque imago. Ad hæc, 'videbitur, fieri non posse, ut substantia & id cujus est substantia, sejuncta sint. 'Quo igitur modo Ideæ, cum sint rerum substantiæ, separatæ fuerint? In 'Phad: autem hunc in modum dicitur formas & ut res sint, & ut fiant, 'causas esse: atqui existentibus formis, res, quæ illarum participes sunt, ne-'quaquam fiunt, nisi sit quod moveat: Multaque fiunt alia, ut domus aut an-'nulus, quorum non dicimus formas esse. Quare manifestum est, alia quoque & esse & fieri posse propter tales etiam causas, propter quas & ea quæ modo 'dicta sunt. His etenim & similibus locis *Platonis* sententiam recitat atque refutat.

Diversæ Authorum conjecturæ.

Hanc vero sententiam adeo esse absurdam judicarunt plurimi, ut eandem *Platonis* esse neutiquam admiserint: Verum *Aristotelem* vel male intellexisse Præceptoris sui opinionem, vel, quod pejus est, falsas ipsi aliisque præclaris philosophis opiniones imputasse, ut sibi ex eorum infamia majorem aucuparetur gloriam; vel denique proposuisse non veram & genuinam *Platonis* doctrinam, sed ut male eandem intellexerunt *Xenocrates*, aliique istius ætatis philosophi: existimarunt autem *Platonem* per species suas, sive Ideas universales nihil aliud intellexisse, quam Ideas æternas in mente Divina, quæ causæ exemplares sunt omnium rerum productarum: Ita *Eustratius prim. etb. cap.* 6. *Jamblicus in symb. Platon. Appuleius de dog. Platon. Bessarion lib.* 2 *ad Aristot cap.* 3 *&* 4. *Seneca Philosop. Epist.* 66, *August. Eugubin. lib.* 1 *de Perenni philosophia cap.* 10 *D. Augustin. lib.* 83 *quæstionum, quæst.* 46, *& lib.* 22 *de civitat. Dei cap.* 26, *Justin. Martyr in oratione parænetica ad gentes*, sic quoque *Plotinus*, *Simplicius*; *Thomas Aquinas opusculo* 20 *lib.* 4. *cap.* 4 dicit "*Graves Authores, quorum nonnullos* 'nominat, sic *Platonem interpretari fuisse solutos*: Ita quoque *Durandus distinct.* '2 *quæst.* 6 Alii. è contra aliter sentire videntur; nam *Fran. de Oviedo log. controvers.* 3 *punct.* 2 § 1 suam sententiam hisce tradit verbis, 'Phi-'losophum Platonis mentem non percalluisse, difficile credam, cum illum viginti 'annos docentem audierit, quibus millies eandem sententiam a *Platone* tradi-'tam & explicatam accipere necesse fuit, fidemque superare videtur, post 'tam diuturnam ejusdem doctrinæ explicationem, nunquam vivido & perspi-'caci Philosophi intellectu fuisse perceptam *Platonis* sententiam ut ab ipso tra-'ditam, & non ut ab aliis philosophis intellectam ab *Aristotele* fuisse impug-'natam suadetur ex eodem philosopho 1 *Ethic. cap.* 6, ubi de hac re loquens 'ingenuè fatetur se veritatis causa, etiam amicos [*Platonem* intelligebat] de-'serere. Demum philosophum sententiam hanc Magistro non imposuisse licet 'conjectari, quia nimia esset impudentia, si præceptorem suum in re gravis-'sima, & omnibus *Platonis* auditoribus nota voluisset calumniari. Tandem

'illa

'illa sententia non obscure legitur apud *Platonem in dialogo*, quem *Parmeni-*
'*dem* inscripsit, ubi expresse docet Ideas non esse notiones, sed notionum ob-
'jecta, neque in animis existere, sed tanquam exemplaria in natura consistere.

Verúmenimvero quid hac de re statuerit *Plato*, ex isto *Parmenidis* dialogo clare edocere haud adeo facile esse puto, multosque doctrina claros hic in luto hærentes, nihil pro certo de *Platonis* sententia statuentes video: quod ad me attinet, quamvis eundem sæpius, & serio, ut potui, relegerim, ejus tamen genuinum sensum me assequi non potuisse fateor: Non procul ab initio infertur *Parmenides* hunc in modum alloquens *Socratem*; Ex Parmenide vix potest aliquid determinari.

'O Socrates, quam dignus es admiratione, propter impetum illum disputandi:
'verum mihi dicas. Oro, tu ita, ut dicis, seorsim quidem ipsas species dis-
'crevisti; seorsim etiam speciebus participantia, videturque tibi quiddam esse
ipsa seorsim similitudo, cujus & nos participes sumus, & quiddam seorsim
'unum, quiddam seorsim multa, & omnia quæcunque nuper a *Zenone* au-
'disti: Respondet *Socrates*, mihi quidem videtur. Rursus interrogat Parme-
'nides, num talia quædam, inquis, seu, justi speciem quandam ipsam, per se
'ipsam & pulchri, & boni, atque omnium denique talium? Prorsus, respon-
'det Socrates. Parmenides, nunquid speciem hominis seorsim a nobis & cæ-
'teris ejusdem generis, & ignis etiam & aquæ speciem? *Socrates*, sæpenume-
'ro in hac sum ambiguitate versatus, utrumde iis perinde ut de superioribus
dicendum sit, an secus. Paulo postea interrogat *Parmenides Socratem* hunc
in modum; hoc igitur mihi dic, videturne tibi, ut aiebas, species quædam ex-
'istere,& ea, quæ illis participant, iliarum cognomenta sortiri? Veluti simili-
'tudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine atque justitia
'pulchra & justa vocari? Socrates, & maximè quidem. Deinceps infertur ex
'præcedente cum *Socrate* confabulatione hæcce a *Parmenide* conclusio, reor
'te idcirco quamlibet speciem putare unam, quia cum plura quædam magna
'absse videntur, una quædam fortan Idea tibi videtur omnia perspicienti, un-
'de ipsum magnum unum esse putas? Respondet *Socrates*, vera dicis. Quid,
'reponit *Parmenides*, si ipsum magnum, atque alia, quæ magna sunt animo,
'eodem modo consideres per omnia? Nonne unum quiddam magnum iterum
'apparebit, quo hæc omnia magna videri necesse est? *Socrates*, apparet. *Par-*
'*menides*, idcirco alia jam magnitudinis Species præter ipsam Magnitudinem
'& participantia Magnitudine iterum elucebit, & in iis omnibus alia rursus,
'qua universa sint magna, nec amplius unaquæque Species una erit, sed Nu-
'mero potius infinitæ. At forsitan, inquit *Socrates*, quælibet harum Specie-
'rum Notio quædam est, nec alibi esse quam in Animis potest: Sic enim u-
'naquæque una erit, nec contingent quæ tu dicebas. Postea verò audies *Par-*
'*menidem* hunc in modum loquentem, nonne si quid aliud est ipsius Scientiæ
'particeps, nullum nisi Deum dices supremam habere Scientiam? Necesse
'est, inquit *Socrates*. Num poterit Deus, pergit *Parmenides*, cum ipsam Sci-
'entiam sit amplexus, hæc nostra dignoscere? Cur non? Respondet *Socra-*
'*tes* &c. Hic ut & alibi nunc separatas Species statuere videtur, nunc verò
'negare divinus Philosophus, quamobrem, cum nil mihi certo de eadem constet,
'ejus Opinionem indeterminatam relinquam, ad alia progressurus,

V.

Dissentiunt Autores de opinione Scoti.

Secunda *Scoti* est, vel saltem *Scotistarum* Sententia: Nam quidam, nominatim *Mersennus*, conantur aliter *Scoti* Sententiam explicare, quam vulgò ipsi attribuitur, eandemque intelligunt & defendunt *Scotistæ*. *Comptonus* verò *Disp.* 28. *Log.* §. 1. Omnino existimat eandem esse *Scoti* & *Scotistarum* Sententiam: Hæc ejus sunt Verba; „ unde licet multi putent Sententiam hanc ‘ Scoti non esse, ob Argumentorum tamen quæ ad ejus Probationem adduci ‘ solent, Subtilitatem, in id propendeo, ut eam vere ipsius esse existimem; ‘ Tela enim tam acuta, ex qua incude prodierint, facile apparet.

Opinio Scoti prout ipsi vulgo attribuitur.

Sententia autem hæ est, Quod etiamsi non dentur Naturæ Universales, actu ab Individuis separatæ; Dantur tamen Formalitates, ab aliis inferioribus, & ab ipsis Individuis, ex natura Rei, ante Intellectus Operam, distinctæ V. G. Humanitas, re ipsa, ab hoc, isto, aut alio, individuo homine, distincta.

VI.

Opinio Fonsecæ.

Tertia Opinio est *Fonsecæ*, mira de Essentiis universalibus ante Individuorum Existentiam Somniantis; Asserit enim *Metaph. Lib.* 5. *Cap.* 28. *Quæst* 3. §. 4. ¶. 3. Essentias rerum ab æterno, priusquam alia extiterant individua, fuisse universales, et istas universales naturas ab æterno contractas fuisse non solum per Differentias specificas, verum etiam per Differentias Individuantes. Audiamus ipsius Verba: “ Quocirca illud notandum est, ex ‘ tribus illis statibus, quibus natura communis spectetur, vel absolute, Vel ‘ ut contracta est, vel ut a contrahentibus abstracta, primum dici solere sta- ‘ tum Essentiæ, secundum Existentiæ realis, tertium Objectivæ: Quod partim recte dicitur, partim, ut verum sit explicatione indiget. Nam quod ‘ primus Status recte dicatur Essentiæ ex eo constat, quia absoluta naturæ ‘ communis Consideratio (dico autem *Communis*, non quatenus communis est ‘ formaliter, sed quatenus talis est, ut communis & universalis denominari ‘ possit) nihil prorsus admittit, nisi quod ad Essentiam Rei pertineat. aut e- ‘ am secundum se. et ante omnem existentiam consequatur: Quo pacto homo ‘ consideratur ut Animal, ut rationis particeps, ut risus capax. Quod item ‘ tertius recte appelletur Existentiæ Objectivæ (lubaudi in Intellectu) perspicuum est; Cum abstractio naturæ communis ab iis Differentiis, quibus ‘ contracta est, non fiat nisi per Speciem intelligibilem, quâ nudatâ contrahen- ‘ tibus Differentiis repræsentatur, aut per conceptum, quo eodem pacto con- ‘ cipitur: His enim modis quælibet natura communis Intellectui objici potest, vel Habitu sciz, vel actu. At ut secundus recte dicatur Existentiæ re- ‘ alis, non sic intelligendum est, quasi natura communis per solam realem ex- ‘ istentiam contrahatur: Prius enim generica natura contrahitur per Diffe- ‘ rentias specificas, imo & specifica per Differentias individuantes, quam rea- ‘ liter

'liter exiſtat: Id quod non tantum naturæ ordine accidit, ſed & temporis; Nam ex omni æternitate Homo eſt Animal rationis particeps, & *Socrates* eſt hic Homo: Cum tamen eorum realis Exiſtentia a certo temporis Momento 'cœperit. Neque enim Contractio naturæ communis facta eſt, exiſtente prius natura communi, & accidente deinde differentia contrahente 'ad compoſitionem rei particularis, ſive ſpecificæ, ſive individualis, quo 'pacto rei naturalis compoſitio fit ex materia & forma in iis, quæ gi-'gnuntur, ſed & ipſorum Eſſentiali ordine, & ante omnem Exiſtentiam. cum ab omni æternitate Homo conſtet natura Animalis, & Differentia rationis participis, & *Socrates* natura humana, & particulari Differentia individuante. Et ſimiliter *Quæſt.* 5. §. 2. ¶. 1. & 2. "dicit non deeſſe, qui dicant 'naturas, quæ pluribus commune ſunt, non modo ex ſeipſis, & ſine operati-'one Intellectus eſſe univerſales, ſed etiam in ſuis particularibus hab re ſuam 'univerſalitatem, & quæ cum iis ſimul exiſtat. Priorem iſtius ſententiæ partem 'approbat ¶. ſequenti, hiſce verbis " Atque hi etſi in priori parte aſſer tio-'nis reprehendendi non ſunt, ut patebit. &c. Et poſtea §. 3. ¶. 1 & 2 ubi *Di-'vi Thomæ* aliorumque Sententiam proponit & explicat in hunc modum, 'Alii oppoſitam omnino ſententiam ſequuntur: Dicunt enim naturas com-'munes non ſolum non habere ſuam univerſalitatem in ſuis particularibus, 'verum neque ex ſeipſis eſſe univerſales, ſed ſola operatione Intellectus uni-'verſales effici ſed horum Opinio, etſi in priore quoque parte nobis proba-tur, ſatiſque ex iis, quæ dicta ſunt confirmata relinquitur: Poſteriore tamen, 'ut ſuperior (niſi aliter, quam ut ſonat, exponatur) non placet; eſt enim ex duabus ſuperioribus quæſtionibus perſpicuum, naturas communes habere ex ſe '& ante Operationem Intellectus & unitatem præciſionis, & Aptitudinem ut ſint in pluribus. Quo, fit ut hac Ratione tantum ſint ac fiant univerſales o-peratione Intellectus, quatenus non habent Univerſalitatem actu exiſtentem, niſi objectivè in Intellectu.

VII.

Opinio Alberti Magni aliorumque Peripateticorum.

Quarta demum opinio eſt *Alberti Magni, Alenſis, Divi Thomæ, Ægidii,* & Recentiorum Scholaſticorum innumerorum, qui *Ariſtotelis* definitionem, *Metaph. lib. 6 cap. 13* quæ ita ſe habet, *Univerſale dicitur, quod pluribus naturâ aptum eſt ineſſe,* ita interpretantur, quaſi naturæ univerſales ſuam univerſalitatem ab operatione ſolummodo intellectus haberent; volunt enim quamlibet naturam ex ſe ſingularem eſſe, & multiplicatam ſecundum Individuorum numerum, verum per mentis præciſionem ab iiſdem abſtrahi, & ſic fieri unam, & univerſalem.

VIII.

Univerſale in Eſſendo collectivum & diſtributivum.

Quatuor hæ ſententiæ maximè ſunt affines, quapropter ſingulis ſeorſim refutandis non diu immorabimur, nec argumenta multiplicabimus nequicquam; uno verò utemur evidentiſſimo, quo earum omnium falſitatem abſurdiſſimam invictiſſimè demonſtrabimus. Unica autem præmittenda eſt univerſalis in

Essendo distinctio: Universale in *Essendo* est vel *Collectivum*, vel *Distributivum*. *Collectivum* nihil aliud est, quam collectio omnium, vel plurium Individuorum; cujusmodi sunt genus humanum, Populus, Exercitus, Ecclesia; qualia perplurima dari nemo ignorat, sed hoc sensu universale in præsenti negotio non intellexerunt philosophi: verùm de universali distributivo litem movent.

Nullo sensu datur universale in Essendo.

Quod nullo prædictorum sensuum, nec alio quovis dari, aut dari posse asserimus hoc, instar omnium, adducti argumento; universale in *Essendo* vel habet naturam sive Essentiam sibi propriam & reapse a singulis Individuis distinctam, vel habet Essentiam cum iisdem identificatam: quicquid dixeris erit contradictorium. Si prius, tunc minime dici debet universale, cum re vera singulare sit & Individuum; habere etenim propriam & ab omnibus aliis reipsa distinctam Essentiam constituit Individuum qua tale, & hæc ipsissima Individui qua talis definitio est. Si posterius, tunc una eademque Essentia erit una & eadem simul & plures ac distinctæ, quod implicat. Una eademque erit ex sententia Adversariorum, dicunt enim universale in Essendo esse unum quid, unam naturam sive Essentiam: Plures autem erit & diversæ Essentiæ quippe quæ cum singulis individuis identificatur & de iis singulis vere affirmari potest: quod autem cum aliqua re identificatur ea ipsa res est: Cum igitur identificatur cum singulis Individuis, & hæc plura sunt ac diversa, erit & ipsa plura & diversa, sive Essentiæ plures ac diversæ, implicat autem, dixi, esse unum & idem, & tamen plura ac diversa, quod enim plura & diversa esse supponitur, supponitur esse a se distinctum, h, e, esse id quod re vera non est, manifesta contradictio.

IX.

Refutatur sententia Platonis.

Sed ut vis hujus argumenti luculentius appareat, & ab Adversariorum exceptionibus & cavillis vindicetur, idem singulis propositis sententiis applicabimus, sed paucis: nam iis tuse refutandis non diu immorandum est, ut dixi. Prima Itaque, sive *Platonis* fuerit, sive *Xenocratis*, sive alterius cujuspiam Philosophi nostra parum refert; quamvis enim supra diversas diversorum Autorum proposuimus, sententias, non tamen ubique præcise determinavimus singularum sententiarum Autores: Eandem autem impugnabimus, prout à multis celeberrimis Philosophis proponitur & explicatur de vero Autore parum soliciti. Tales igitur Ideas sive naturas Universales, quales *Platonem* statuisse volunt nonnulli, plane impossibiles esse dico, & tradito argumento demonstro; habent enim essentiam, sibi propriam, & revera distinctam, ab essentiis singulorum, quæ fiunt & producuntur: nam sunt æternæ, ingenerabiles, incorruptibiles, ut aiunt. Jam, quod sibi propriam, & ab omnibus aliis rebus distinctam habet essentiam, nequaquam est entitativè, sive in essendo Universale, sed individuum, ut supra ostensum est. Ad summum itaque admittendo, (quod minime admittendum est, cum figmentum sit omni fundamento destitutum, imo veritati maxime oppositum) esse quasdam naturas, sive

Ideas

Ideas iſtiuſmodi, forent ſolummodo Univerſales in *repræſentando*, qualis eſt pictura leonis, equi, *&c.* vel in *cauſando*, minimè tamen in *Eſſendo*.

Objiciatur, ſi non eſſent tales Naturæ Univerſales, nulla foret ſcientia, niſi Idearum & vocabulorum, quod *Nominales* quondam aſſeruiſſe volunt aliqui, quippe cum Individua perpetuò producantur & fluant, eorum nulla fieri poteſt certa ſcientia. Objectio.

Puerile ſane hoc eſt & ſtramineum Argumentum; Rerum etenim fluxarum & caducarum omnino datur certa Scientia, ut omnium Experientia teſtatur, niſi ſine ulla ratione reſtringatur hoc Vocabulum ad ſolius Dei Cognitionem, quod tamen nihil faceret pro naturis iſtis univerſalibus. Præterea quamvis ſingularium qua talium nulla foret conſtans & certa Scientia, certè tamen earundem ut inter ſeſe convenientium per Ideas univerſales datur. Reſponſio.

X.

Succedit Opinio *Scoti*, ut ipſi aſcribitur ex *lib. ſuo 2do. in ſententias diſtinct. 3 quæſt.* 1, & ſuprà propoſita fuit, quæ æque abſurda eſt ac altera *Platonis*. Iſtæ etenim formalitates ſive naturæ certè ſunt aliquid; Iſtud autem aliquid cum habeat Eſſentiam ex natura rei, ut dicitur, ab Individuis diſtinctam, erit ſanè ipſum Individuum ex dictis & non Univerſale, & ſic Opinio ſibi erit contradictoria; eſſe enim ab omnibus Individuis diſtinctum & tamen Individuum, contradictio eſt. Refutatur ſententia Scoti.

XI.

Sequitur Opinio *Fonſecæ*, nulla fortiore ratione ſuffulta: Impoſſibile eſt enim eſſe naturas ex ſe in ſtatu Eſſentiæ univerſales ante mentis operam diſtinctas a ſingularibus, quæ ſunt ab æterno; Nam, ut non dicam nullam Eſſentiam præter Divinam ab æterno eſſe vel eſſe potuiſſe, iſtæ Eſſentiæ neceſſariò haberent ſibi propriam Eſſentiam ab omnibus aliis Eſſentiis diſtinctam, & ſic non eſſent univerſales ſed Individuæ. Præterea impoſſibile foret ut iſtæ naturæ in ſtatu exiſtentiæ ita contraherentur ad ſingularia, ut cum iiſdem identificarentur; quippe quod ex ſua natura ab aliquo eſt diſtinctum, ſemper ab eodem diſtinguitur, nam ſi diſtinctio ex natura rei fluat, vel ſit eo quod natura ſit, eandem ſemper indivilim concomitabitur, ac proinde quamdiu natura iſta fuerit ab omnibus Individuis diſtincta ſemper manebit. Ad hæc, natura, quæ ab æterno fuit, nunquam eadem eſſe poteſt cum ſingularibus, quæ in tempore fiunt, niſi velimus ſingularia quæ in tempore fiunt etiam fuiſſe ab æterno. Refutatur ſententia Fonſecæ.

XII.

Agmen claudit, quos ſupra nominavimus, Peripateticorum ſententia, quæ quamvis multos præclaros nacta ſit Patronos, falſa tamen eſt, & rem ſeriò per-

Refutatur ſententia variorum Peripateticorum.

perpendenti planè deridenda, quoniam impossibile est naturam, quæ à parte rei cum Individuis identificatur & multiplicatur, necnon singularis est in singulo Individuo, per mentis præcisionem fieri universalem in *Essendo*: Clarius ut dicam, impossibile est id quod suapte natura singulare & Individuum est, per mentis abstractionem fieri Essentialiter unum, & tamen aptum inesse, imo actu inesse multis.

Reprehendendi sunt qui recte sentientes verbis obscuris veritatem celant.

Permultos, fateor, repperi scholasticos asserentes unitatem istam formalem esse tantum operatione Intellectus, & naturas à parte rei esse Individuas: Sed si rectè sentiant, quare verborum involucris veritatem celare conarentur. Si enim per vniversale in *Essendo* nihil aliud intelligant, quam quod Individua hanc subeant denominationem quatenus repræsentantur per Ideam universalem à conditionibus individuantibus abstrahentem, cur non claris & rotundis verbis hoc dicant; multò namque facilius foret dicere Ideas esse repræsentativè universales, & rerum individuas Essentias metonymicè tantum vocari universales, quoniam per tales Ideas ab hæcceitate abstrahentes repræsentantur.

Verum percipio hoc eorum fuisse πρῶτον ψεῦδος, quod putârint prædicatum, quod de subjecto distributivè verè affirmatur, necessariò communicabile esse debere singulis Individuis, quæ in subjecto continentur, & tamen unum tantum esse, V. G. hominem, qui prædicatur de *Socrate, Platone, Aristotele &c.* esse unam tantum naturam humanam, & tamen inesse & verè affirmari de singulis istis Individuis.

Non est una in pluribus, sed similis tantum natura.

Sed facile hac difficultate extricarentur, modo istiusmodi propositionum naturas ritè perpenderent; non est enim una natura, quæ in istis propositionibus de singulis Individuis affirmatur, sed tot distinctæ naturæ, quot sunt distincta individua sub tali subjecto comprehensa, & istæ distinctæ naturæ unum solummodo denominantur ab una Idea eas omnes uniformiter repræsentante; quæ unitas in ipsis naturis nihil aliud est, quam similitudo, sive aptitudo ad repræsentandum per unam uniformem Ideam. Non itaque una est in pluribus, strictè loquendo, sed similis natura; nam solet similitudo trito loquendi usu unitas & Identitas appellari, quæ vocis ambiguitas permultos non cautos satis sæpius fefellit.

XIII.

Argumentum Primum Adversariorum.

Non desunt tamen istiusmodi Philosophis, quibus pro sententia sua utuntur, argumenta: duo majoris momenti notare nobis impræsentiarum sufficiet. Primò, si non daretur natura Universalis, definitiones & divisiones non essent rei, sed nominis aut Ideæ, *v. g.* quando homo definiretur animal rationale; non natura hominis; sed Idea repræsentans, vel vox hominem significans definiretur: nec natura hominis, sed hic conceptus, sive hoc vocabulum vocaretur animal rationale, contra omnem veritatem.

Responsio.

Respondeo nullam hanc esse sequelam; quoniam definitiones, quas formamus, & divisiones, ope Idearum Universalium, sunt re vera ipsarum rerum Individi-

dividuarum, non autem conceptuum aut vocabulorum, quamvis hæc Individua per Ideas Univerſales repræſententur, & per vocabula Univerſalia ſignificentur.

Secundo, Humanitas *Petri*, *Pauli* &c. eſt à parte rei in *Petro*, *Paulo* cæteriſque hominibus, quæ dum per mentis abſtractionem ſeparatur, ab Individuis & conditionibus individuantibus una fit: Ergo iſta natura, quæ re vera à parte rei in ſingulis multiplicatur, & una eſt per mentis præciſionem, eſt natura Univerſalis, ſive Univerſale in *Eſſendo*. Argumentum. Secundum.

Reſpondeo, humanitatem in *Petro*, *Paulo*, cæteriſque hominibus revera multiplicatam eſſe ſecundum numerum Individuorum, *h. e.* tot eſſe humanitates, quot ſunt ſingulares homines, à parte rei ante omnem mentis præciſionem; iſtam autem naturam unam fieri per mentis præciſionem nego & pernego: quamvis enim per unam uniformem Ideam repræſententur, in Eſſendo tamen, ſive entitativè ſemper plures ſunt diſtinctæ naturæ, nec alia inter ipſas reperitur identitas, quam ſimilitudo, ſive aptitudo ad repræſentandum per unam uniformem Ideam, quæ Univerſalitas non eſt Eſſentiæ aut in *Eſſendo*, ſed repræſentationis ſive in *Repræſentando*; quæque originaliter & propriè eſt in intellectu, denominativè autem & impropiè in rebus ab intellectu conceptis. Et profectò eodemjure aſſerere poſſumus effectus cauſarum Univerſalium qua tales eſſe Univerſales in *Eſſendo*, quo poſſumus objecta Univerſalium Ideaarum eſſe Univerſalia in *Eſſendo*, quia eorum Ideæ ſunt Univerſales in repræſentando. Sed, ut dixi, vocem diſtinguendo, tolleretur ſcrupulus, qui iſtos Autores tam malè habuit, imo exeruciavit. Reſponſio.

XIV.

Hactenus de Univerſali in *Cauſando* & *Eſſendo*, ad Univerſale itaque in *Significando* & *Repræſentando* ſeſe jam proximè convertit meditatio noſtra. Univerſale in *ſignificando*, ſive ſignum Univerſale eſt, definientibus accuratiſſimis Philoſophis, quicquid ſe prius menti offerendo efficit, ut de alio ab ipſo diverſo cogitet. Definitur Univerſale in ſignificando.

Hujuſmodi innumera ſunt ſigna, pictura *v. g.* Leonis, Equi, Urſæ *&c.* præcipua autem ſigna & notatu digniſſima ſunt vocabula noſtra ſive ſcripta, ſive viva voce prolata, quibus & res, & noſtras de rebus cogitationes aliis manifeſtamus quoad conceptus, perperam & imperitè admodum rerum perceptarum a nonnullis ſigna dicuntur, cum ſignum hoc neceſſariò exigat, ut ſit à re ſignificata diſtinctum, & ut ſe prius intellectui offerat, vel ab intellectu cognoſcatur, quam res ſignificata: conceptus autem, ſi rerum conceptarum ſigna forent, oporteret prius per alios conceptus menti repræſentarentur; hi etiam eodem jure per alios, & ſic in infinitum: nam actum directum & reflexum unum eſſe & eundem adeo abſurdum eſt, ut nil abſurdius aut falſius fingi poſſit. Voces noſtræ ſunt præcipua rerum & cogitationum ſigna; conceptus autem rerum conceptarum non ſunt ſigna.

XV.

Definiuntur vocabula Univoca & Æquivoca.

Vocabula nostra vel *Æquivoca* sunt vel *Univoca*; quæ enim plura collectivè significant ad præsens nostrum institutum non pertinent.

Vocabula *Univoca* sunt soni secundum eandem Ideam sive conceptum res plures significantes; ut substantia, corpus, Triangulum. *Æquivoca* sunt soni secundum diversas Ideas res plures significantes sive ex accidente sive ex concilio, ut Cancer, Leo, Virgo, sanus, salubris *&c.* inter quæ enumeranda veniunt nomina propria pluribus Individuis convenientia, puta *Joannes, Philippus, Alexander, Franciscus*; quæ applicari possunt huic, isti, aut alteri Individuo, non quidem secundum eundem conceptum, sed secundum diversos: nam hæc vox *Joannes* secundum eundem conceptum non potest applicari Baptistæ & Evangelistæ. Sed secundum diversos: cum enim applicatur Baptistæ, significat *Zachariæ* & *Elizabethæ* filium, hominem severum, agrestem, *Eliæ* Antitypum, Christi Prodromum: cum vero applicatur Evangelistæ significat dilectum Christi Discipulum, Evangelii, Epistolarum & Apocalypseos Scriptorem:

Æquivoca sunt vel ex concilio vel ex accidente

Vocabula *Æquivoca*, ut dixi, talia sunt, vel ex accidente vel ex concilio. Æquivocatio ex concilio *Analogia* vulgò appellatur, quæ comprehendit quatuor Rhetorum tropos, *Metaphoram*, *Metonymiam*, *Synechdochen* & *Ironiam*. Unde notandum est obiter Universalium doctrinam fundamentum esse magnæ partis Rhetoricæ.

XVI.

Definitur universale in repræsentando laxo sensu, ut & Idea universalis.

Universale in *Repræsentando*, ad quod tandem pervenimus, & de quo maximæ occurrunt difficultates, laxo sensu dici potest quodlibet plura repræsentans; strictius verò signum universale repræsentativum propriè sic dictum: de quo hoc loco non sumus acturi; verum universale repræsentativum ad Ideas nostras solummodo restringimus, ita ut deinceps per universale in repræsentando intelligamus semper universalem Ideam; Quæ rectè definitur Idea pluribus repræsentandis distributivè applicabilis: Vel aliter, Idea præscindens formalitatem, sive gradum Metaphysicum a conditionibus Individuantibus: Vel alias adhuc Idea repræsentans plura secundum unam formalitatem, aut quatenus conveniunt in una ratione formali, non attendendo ad eorum hæcceitates.

XVII.

Qua ratione Ideæ universales dicantur prædicabilia.

Hujusmodi Ideas *Prædicabilia* appellare consueverunt Recentiores, quamvis impropriè; cum enim *Prædicabile* sit, quod verè de aliquo affirmari potest, utique Ideæ respectu suorum objectorum non erunt prædicabiles, quia non possumus verè dicere V. G. homo est Idea hominis Leo Idea Leonis *&c.* quoniam verò naturas, sive formalitates, quas tales Ideæ repræsentant, quatenus verè de suis inferioribus affirmari possunt, *Prædicabilia* vocarunt Peripatetici, idcirco

idcirco Recentiores per Metonymiam ipſas Ideas quoque *Prædicabilia* nominarunt.

XVIII.

De *Prædicabilium* numero multum diſputant Philoſophi, num ſciz. quinque ſint, ut voluit *Porphyrius in proœm. Iſagog. Boet. in Porphyr.* à le tranſlatum *cap. de genere, Aver. in epitome log. cap. 1. Amm. comment. ſuo 2. Albert. Mag. tractat 2. in Prædicabilia. cap. 9. Aquin. in ſum. log. cap. 1. Scotus, quæſt 1. in Prædicabilia fratres Conim. in præfationem Porphy. quæſt. 7. Art. 12. Arriag. Diſput. log. 9. §. 1. Schesb. introduct. log. Cap. 3. quæſt. 3.* & alii innumeri: an aliter. ut *Joannes Major in tractat. de Accidente*, exiſtimans numerum quinarium prædicabilium haud ulla probabili ratione conſtitutum eſſe, ſed plura poſſe, vel pauciora enumerari. *Franc. bona ſpes log. tract. 3 dubio 3. reſolutione 2.* ſex ſtatuens: *Kecker. ſyſtem. log. lib. 1. cap. 3.* non procul ab initio, & ſub finem, excludens è numero prædicabilium *proprium & Accidens.* Quinque vulgo enumerari ſolita ſunt *Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens*, quorum non ſolum duo poſtrema cum *Kecker.* verum etiam *Differentiam* è numero excludendam eſſe aſſerimus, cum duo tantum præciſe ſint, *Genus & Species*: *Genus* eſt Idea præſcindens unam formalitatem, tam ab alia, quam ab ipſis Individuis: *Species* eſt Idea præſcindens integram naturam ſive omnes formalitates ſimul ſumptas à ſolis individuis.

Diverſæ diverſorum Autorum de numero prædicabilium ſententiæ.

XIX.

Hanc noſtram ſententiam quippe à cæteris longè diſſentientem fuſius paulò conabimur demonſtrare: in anteceſſum verò ex dictis recolendum eſt Ideam ſolummodo Univerſalem, ſive *prædicabilem* dici, quæ repræſentat formalitatem cum ipſis Individuis identificatam, cum talis ſola de iiſdem prædicari *h. e.* verè affirmari poſſit: ſecundo iſtam Ideam ſemper præſcindere objectivam ſuam formalitatem ab iſtis Individuis quibuſcum identificatur. Cum autem Ideæ Univerſales fiant per præciſionem, tribus verbis de ea quoque hoc loco dicendum eſt: prætereundo itaque *Thomiſtarum* præciſionem objectivam, ut & *Scotiſtarum* formalem ex natura rei, quæ vix quidem intelligi aut explicari poſſunt, dicimus in genere præciſionem eſſe actum mentis percipientis unum, non percepto alio: hæc autem præciſio duplex eſt, alia, qua mens percipit unum eorum, quæ a parte rei identificantur, non percepto alio, ut quando percipit Triangulum non attendendo an ſit rectilineum an curvilineum, æquilaterum, iſoſceles an Scalenum, quæ proprie *præciſio formalis* appellatur: alia qua percipit unum eorum, quæ à parte rei diſtinguuntur, alio non percepto; ut quando percipit corpus non cogitando de ſpiritu, aut è contra; quæ recte dicitur *præciſio objectiva*; quippe cujus objectum realiter diſtinguitur ab iis a quibus præſcinditur, quemadmodum objectum præciſionis formalis

Quædam de præciſione argumenta pro vera ſententia præmittuntur.

non à parte rei, sed solummodo formaliter sive operatione Intellectus distinguitur ab iis, à quibus præscinditur.

Ex hisce plane sequitur, per priorem solummodo præcisionem nequaquam per posteriorem fieri posse prædicabile sive ideam Universalem: nam objectum prædicabilis, ut dixi, tale esse debet, quod verè affirmari possit, *i. e.* verè identificatum cum iis, à quibus abstrahitur, alioquin idea nunquam applicabilis foret iis repræsentandis, quæ realiter à suo objecto distinguuntur.

XX.

Demonstratur vera sententia.

Quibus præmissis, ad demonstrationem progredior, quæ hæc est; Omnis idea formaliter præscindens vel præscindit unam formalitatem ab alia, sed non ab individuis, ut si quis è longinquò videret corpus humanum, non vero decerneret an corpus humanum esset, an lapis aut arbor: vel præscindit unam formalitatem, tam ab alia, quam ab ipsis individuis; vel denique præscindit integram naturam a solis individuis: primo modo præscindens idea nequaquam est Universalis, quippe quæ ad individuum restringitur; solæ itaque secundo & tertio modo præscindentes sunt Ideæ Universales, secundo modo præscindens *genus*, tertio *species* est, ut ex generis & speciei supra traditis definitionibus patet.

XXI.

Proponitur quorundam Scholasticorum pro numero quinario argumentum.

Sed è contra alii quoque Philosophi conati sunt quinarium prædicabilium numerum demonstrare, Pata *Suar. disput. 7. Metaph. Sect. 8. Parag. 7. Ovied. controv. 7. log. punct. 1. parag. 1. Arriag. disput. 9. log. Sect. 1. Parag. 1.* Fratres *Comm. in præfat. Porphyr. quæst. 7. articul. 1. Parag. 12.* & alii perplurimi, argumento quod proponam verbis *Schesb. introduct. log. cap. 3 quæst. 3. c. p. Parag. 37.* 'Igitur quod est Universale, sive quod est in multis vel quod de multis prædicatur, vel dicit aliquid essentiale, vel aliquid extra essentiam: si dicat aliquid essentiale, tum vel dicit totam essentiam, & tunc est *species*, quæ ex coalitu generis cum differentiâ totum esse habet: vel dicit partem essentiæ, dicere autem partem essentiæ contingit bifariam; vel enim dicit partem Essentiæ materialem & potentialem, vel partem formalem, & actualem. Si prius, tunc est *Genus*, quod est veluti materia specierum, quodque potentiam habet ad esse specificum, sub quo perficiatur & determinetur genus. Si posterius, tunc est *Differentia*, per quam potentia generis actuatur, ut differentia sit veluti forma generi superaddita. Si autem dicat Universale quid extra Essentiam, tum vel dicit aliquid quod nihilominus necessariò connexum sit cum essentia, & sic fit *Proprium*, quod propter connexionem necessariam cum subjecto suo etiam *Essentiale* dici solet; vel est cum essentia connexum contingenter, sic ut, citra corruptionem subjecti, ab eo abesse, vel ei adesse possit, & tunc constituitur *Accidens*. Ex his igitur patet exacta sufficientia prædictæ divisionis.

Huic

Huic demonſtrationi, cum Univerſale in *Eſſendo*, ſatis antea refutatum ubique ſupponat, non amplius, immorabimur, ſed ad eam, quam haud diſſimilem proponunt Recentiores nonnulli progredientur: hi enim quodam argumento probare nituntur quinque præcipuas ſupra nominatas ſpecies eſſe prædicabilium, ſed quod omni careat ſolido fundamento. videamus eorum argumentandi formam, qua & noſtrum argumentum enervare velint, & ſuam ſtabilire ſententiam. Argumentum rejicitur, quia ſupponit Univerſale in Eſſendo.

XXI.

Primò itaque ut vim noſtri Argumenti elidant præter duplicem iſtam præciſionem, qua ſola Ideas univerſales fieri oſtendimus, aliam duplicem eſſe contendunt, unam qua mens Attributum Accidentale conſiderat non diſtinctè attendendo ad Subjecta quibus ineſt, alteram qua Mens Attributum commune ab Individuis abſtrahit, quod nec ſit pars materialis nec pars formalis Eſſentiæ, ſed quod ex parte formali neceſſariò deducatur: Et per hanc duplicem abſtractionem fieri volunt duo poſtrema Prædicabilia *Accidens* ſcz. commune & *Proprium*. Et tunc pro quinario numero ità argumentantur, Ideæ univerſales vel repræſentant Objecta ſua tanquam res, vel tanquam res modificatas: Si repræſentent Objecta tanquam res, vel ſe extendunt ad alias Ideas communes, & ſic ſunt *Genera*, vel ad ſolas ſingulares extenduntur, & *Species* ſunt: Si repræſentent Objecta ſua tanquam res Modificatas, vel modificantur Attributo Eſſentiali, vel Accidentali; ſi modificentur Attributo Eſſentiali, vel eſt Primarium, & eſt *Differentia* vel Secundarium & *Proprium* appellatur: Si denique modificentur Objecta Attributo Accidentali, tunc Idea objecta ità modificata repræſentans dicitur *Accidens*. Argumentum Recentiorum quorundam proponitur.

Sed importunè in hoc negotio obtrudunt duplicem iſtam aliam Abſtractionem cum nihil ſita Rhombum; nam per neutram earum fieri poteſt Idea univerſalis, eo quod neutra abſtrahat id, quod a parte rei identificatur cum eo, vel iis, à quo vel à quibus abſtrahitur, quod omninò requiri in Ideis univerſalibus ſuprà docuimus: Et ut clarior ſat, rem altius repetemus. Si quod objectivè in comprehenſione ideæ involvitur, ab iis, a quibus idea abſtrahit, realiter diſtingueretur, tum iſta idea iis repræſentandis non eſſet applicabilis, contra Definitionem ideæ univerſalis, quam ipſi Adverſarii admittunt; niſi velimus ideam repræſentare quod nec Formaliter nec Materialiter eſt ſuum Objectum: E. G. idea Hominis in communi abſtrahit integram Naturam humanam a ſuis individuis, *Petro*, *Paulo*, *Iuſto*, *Mævio* &c. quæ tamen natura a parte rei identificatur cum ipſis iſtis individuis, & multiplicatur ſecundum individuorum numerum, ac propterea in ſtatu Abſtractionis idea indifferens eſt, quæ vel huic vel iſti applicetur: aſt ſi ſupponerem Naturam humanam, quæ ab individuis abſtrahitur reapſe ab iiſdem diſtingui, utique iſta natura iis individuis non ineſſet, nec iſta individua ullo modo iſtius ideæ eſſent Objectum; ac proinde idea iis repræſentandis non eſſet applicabilis, niſi (quod longe abſurdiſſimum) admittamus ideam repræſentare poſſe, quod non eſt ſuum Objectum, h. e. quod non repræſentat. Faceſſant igitur iſtiuſmodi præciſiones, quæ neutiquam rejicitur quoad ultimam partem

tiquam efficere possunt ideas aniversales: Et ex numero Prædicabilium excluduntur ideæ *Proprii* & *Accidentis*, cum neutrum horum identificetur cum suo Objecto, verum ab eodem realiter distinguatur.

Objectio prima. Hic autem scrupulus multos male habuit parum cogitabundos, Accidentia tam communia quam propria verè affirmantur de suis subjectis, ac propterea inter prædicabilia sunt enumeranda: *v. g.* verè possumus affirmare de *Socrate* quod sit prudens, de *Aristotele* quod sit doctus: ergo prudentia verè prædicatur de *Socrate*, doctrina de *Aristotele*, ac proinde sunt ex numero prædicabilium.

Solutio. In promptu est responsio. prudentia vere *Socrati* attribuitur, doctrina *Aristoteli* ut accidentia suis subjectis; nequaquam verò de iis prædicantur aut verè affirmantur: hæc etenim duo vere alicui tribui, & vere de aliquo prædicari toto cœlo differunt, prædicatur sciz. prudentia de *Socrate* hac propositione, *Socrates* est prudentia, attribuitur autem isthac *Socrates* est prudens, quæ quantum differunt quivis novit in Logicis Tyro.

Objectio secunda. Objiciatur secundò, esse risibilem est homini proprium aut accidentale, esse risibilem de homine prædicatur: ergo proprium & accidens de subjecto suo prædicari possunt.

Solutio. Respondeo esse risibilem, *h. e.* esse id quod ridere potest, non est quidem accidentale, homini, isti, sciz de quo vere affirmari potest, sed essentiale; quippe impossibile est ut homo risibilis non sit id quod ridere potest, nisi velimus aliquid simul esse & non esse: Multos, satis percipio, decipit, confusio attributi & prædicati, quæ si rite distinguere nôrint, facile multis extricarentur difficultatibus.

Exceptio: Alii excipiunt prædicabilia, de quibus loquuntur, non esse *proprium*, aut *accidens* physicum, sed logicum: concedunt enim *proprium* sive *accidens* physicum non posse prædicari de suo subjecto, logicum verò omnino posse.

Solutio, Sed miserum hoc est, & cordatis viris indignum subterfugium, tantundem ac si dicerent id, quod revera accidens est, non est prædicabile, id verò quod nequaquam accidens est, *i. e.* natura *generica sive specifica* est prædicabilis. Quid enim certius quam in hac propositione Paulus est doctus, de Paulo non affirmari doctrinam, sed subjectum una cum doctrina, sive subjectum cui doctrina inest; quod subjectum. cum sit ipse Paulus, quis dixerit esse accidens Pauli sive Logicum sive Physicum. nisi velit accidens logicum esse ipsissimam substantiam, rei, de qua, affirmatur essentialem quatenus accidente aliquo physico modificatur: qui qualis sit loquendi modus, quantumque pariat confusionis, videant ipsi: Utcunque cum identificatur omne tale Attributum cum suo Subjecto, asserimus ejus ideam universalem esse vel *Genus* vel *Speciem*, vel nullum esse *Genus*, nullam esse *Speciem*.

Conclusio eorum quæ de ultima illa parte dicta sunt Ex quibus facile apparet Debilitas istius partis horum Authorum demonstrationis, quâ probare conantur *Proprium* & *Accidens* esse duas distinctas prædicabilium Species, nempe quod idea repræsentans suum Objectum ut modificatum Attributo essentiali Secundario sit *Proprium*; idea autem repræsentans Objectum suum ut modificatum Attributo Accidentali, sit *Accidens*, cum satis demonstratum sit nil posse de alio prædicari, quod non sit id ipsum materialiter,

realiter, de quo prædicatur, quod dici nequit de ullo accidente respectu ejus cujus Accidens est; & nullum esse *prædicabile* aut ideam universalem, quæ non repræsentat id, quod ità identificatur cum eo, cui est applicabilis. § 17.

XXIII.

Satis de *Proprio* & *Accidente*, restat *Differentia* è numero *prædicabilium* eliminanda. Distinguunt *Differentiam* à *Genere* & *Specie*, eo quod Objectum *Generis* & *Speciei* repræsentetur ut Res, Objectum verò *Differentiæ* ut Res modificata: Sed ut demus Objectum *Differentiæ*, prout voce connotativa significatum repræsentari ut Rem modificatam, quid hoc tamen ad distinctionem *Prædicabilium*, non enim distinguuntur Ratione diversarum Naturarum, aut Formarum Objectorum, quæ per ipsa repræsentantur, sive ut Res, sive ut Modi, sive ut Res modificatæ; verum ratione Extensionis, sive *Applicabilitatis* ad plura repræsentanda: Distinctio ratione Objectorum respicit Idearum Comprehensionem, unde oriuntur diversa *Prædicamenta*, quæ quidem commode reduci possunt ad *Rem*, *Modum*, & *Rem modificatam*; sola autem Distinctio ratione extensionis respicit & distinguit *Praicabilia*; cum quævis Idea, universalis sive de pluribus prædicabilis dicatur, ratione suæ Extensionis, sive Applicabiliratis ut dicam ad plura repræsentanda. Quamvis itaque Differentia, qua Genus dividens, repræsentet Objectum suum ut rem modificatam Attributo essentiali Primario, hoc tamen non impedit, quo minus sit *Genus* aut *Species*, quatenus est universalis; Et licet *Differentia* distinguatur ab eo Genere quod dividit, ut lubentissime concedimus, non propterea distinguetur ab omni Genere: vel erit tertia distincta *Prædicabilium Species*. dicimus autem *Differentiam*, quæ hactenus distinguitur ab eo genere, quod dividit, quatenus idem restringit, nequaquam tamen hac ratione esse Universalem h: e: non esse universalem quatenus *Genus* restringit aut dividit, vel est idea ejus quo quædam distinguuntur ab aliis, quibuscum conveniunt in dicta Natura generica; id etenim, quo res differunt, ut tale, nunquam fieri potest Objectum *Prædicabilis*, cum Prædicabilitas semper exigat convenientiam plurium in eo quod est de iisdem Prædicabiles *Universalem* verò esse, quatenus extenditur ad plura inferiora, quibus repræsentandis applicabilis est, quo respectu ab omni Genere & Specie non distinguitur. Verbo ut dicam, *Differentia* qua talis non est universalis, sed qua *Genus*, aut *Species*, ac propterea non est distincta Species *Universalium*. Examinatur & refutatur argumentum quatenus differentiam respicit

Sed contrà regerant, *Animal* V. G. esse *Genus* respectu Hominis & Bruti, *rationale* Differentiam, *Homo* Speciem, atque hæc tria distingui; nam *Rationale Differentia*, nec est Species *Homo*. nec Genus *Animal*, & tamen est universale: Nam ejus Objectum prædicari potest de pluribus ratione præditis: Ergo dari tertium *Prædicabile* distinctum a *genere* & *specie*. Objectio.

Respondeo hoc merum esse *Sophisma*; nam ut dictum supra, etiamsi Differentia quævis distinguatur ab eo Genere quod dividit, hoc tamen non impedit quo minus aliud sit *Genus* aut *Species*, ut re vera semper est quatenus universalis; Si itaque Differentia quatenus universalis semper sit *genus* aut *species*, non sane erit distincta species *Universalium*. Responsio.

Objectio secunda. Sed urgent *Genus* abstrahere Partem Essentiæ materialem, *Differentiam* autem partem formalem, ergo *Genus* & *Differentiam* distingui.

Responsio. Respondeo hoc esse verissimum, *Genus* abstrahere semper partem materialem, *h. e.* communiorem aliquo saltem respectu, *Differentiam* abstrahere partem formalem. *i. e.* minus communem saltem aliquo respectu, *h. e.* partem abstractam per differentiam esse formalem & minus communem respectu partis abstractæ per genus cujus differentia est, vel quatenus concipitur ut genus istud restringens, ac propterea omnino distingui ab eo genere, cujus est differentia, ut genus inferius sive angustius à superiori & magis communi; nam idea Universalis repræsentans partem materialem hactenus est genus magis commune, idea autem reprælentans partem formalem est genus minus commune; pars enim materialis magis communis, pars formalis minus communis est. Et quid hoc totum nisi differentiam *Genus* esse inferius & minus commune aut saltem *Speciem* sub genere contentam. Quæ ut rectius intelligantur, *Differentia* quævis vel comprehendit in suo conceptu naturam genericam, vel non: si comprehendat, tunc est genus quovis respectu inferius; si non comprehendat, sed indifferens sit, quæ ad istam naturam genericam applicetur aut non, tunc *Genus* est, ut ita loquar, ab eo genere cujus est differentia, independens, & eo tantum respectu *Genus* inferius dicitur quatenus concipitur ut illius generis differentia, cum aliter æque possit illius generis esse genus & istud genus differentia. Exemplis res clara fiet: *Substantia* est *Genus*, *per se extensa* est *Differentia* distinguens *substantiam* corpoream ab in corporea; jam *extensa per se* in suo conceptu involvit *substantiam*; non possumus enim concipere extensionem per se, quin necessario concipimus *substantiam*: igitur *extensa per se* est genus quovis respectu inferius *substantiæ*, quippe *substantia* semper involvitur in conceptu *extensa per se*, non vice versa *h. e.* verè dicere possumus, si sit *extensa per se*, est *substantia*, sed non è contra, si sit *substantia*, est *extensa per se*: unde patet *substantiam* comprehendere semper sub se *extensionem* ut speciem, sed eam non solum, ac propterea ideam substantiæ latius patere idcâ extensionis. Ab altera parte *animal* est genus, *rationale* est differentia; dico *rationale* hoc tantum respectu inferius esse animali, quatenus concipitur ut ejus differentia, *h. e.* quatenus distinguit animal ratione præditum à bruto, & hactenus solummodo esse genus inferius; alio vero respectu consideratum æque dici posse genus *animalis*, ac *animal* genus *rationalis*; nempe æque dicere possum *rationale* est *animal* vel *spirituale*, ac possum dicere *animal* est *rationale* vel *irrationale*; cum neutrum necessario in alterius conceptu involvtur nec bona foret sequela, si est *rationale* ergo est *animal*, aut è contra si est *Animal*, ergo est *rationale*. Sed manus de hac tabula, ni fallor jam satis demonstratum est, nec *Accidens*, nec *Proprium* esse *Prædicabilia*, neque *differentiam* esse *Prædicabile* distinctum à *genere* & *specie*.

XXIV.

Duæ ultimæ de genere quæstiones. Duæ adhuc restant de *genere* determinandæ controversiæ, una de *genere* in definitione *generis*, altera utrum *genus* primo intentionaliter an secundo

do intentionaliter sumptum definiatur : quoad primam, asserimus *Prædicabile* sive *Universale* esse genus in definitione *generis*. Prædicabile est genus generis.

Sed contra urgere possunt, *prædicabile*, sive *Universale* non posse esse genus *generis*, quia *genus* in genere est omnium generum *genus* Universalissimum ac propterea non potest subjici *Universali* tanquam generi Universaliori. Objectio.

Respondeo *Genus* secundum suam comprehensionem complecti *Universale* sive *Prædicabile*, ut & omnia alia particulariora genera, & hactenus *Universale* sive *Prædicabile* subjici generi in communi; *Prædicabile* verò secundum suam comprehensionem complecti *genus* & *speciem*, & si, qua alia forent prædicabilia: atque hoc pacto *genus* in communi subjici *prædicabili*, *prædicabile generi*, diverso respectu. Nimirum genus in communi sive idea quæ pro objecto suo habet generetatem, ut sic loquar, complectitur omnia particularia genera, qua talia, quippe quæ omnia conveniunt in genereitate, sive in hoc, quod sint genera: *prædicabile* autem sive idea singulis particularibus prædicabilibus appplicabilis, quæ pro objecto suo formali habet prædicabilitatem, sub se comprehendit omnia particularia prædicabilia, quatenus in hac ratione formali conveniunt: nec obstat aliquid, quo minus unum idemque diverso, respectu, altero superius sit & inferius. Clarius ut dicam, omnis idea Universalis habet suam comprehensionem & extensionem : Unius Ideæ extensio potest esse alterius objectum, & sic ejus terminare comprehensionem; ut quando per alium distinctum intellectus actum reflecto in priorem Ideam, quam considero secundum suam extensionem solum, sive quatenus est uni aut pluribus applicabilis, quo casu hujus actus, quo in istam ideam reflecto, objectum utique est istius Ideæ extensio. Quibus rite intellectis luce meridiana clarius erit, qua ratione *prædicabile* sit genus *generis*, & vicissim *genus prædicabilis* genus: nempe *genus* est *prædicabilis* genus secundum *prædicabilis* extensionem, sive quatenus *prædicabile* extenditur ad plura essentialiter distincta prædicabilia, non autem quatenus *prædicabile* in communi sive idea communis prædicabilium repræsentat prædicabilitatem: & è contra *prædicabile* est genus *generis*, quatenus *genus* secundum suam naturam, aut comprehensionem, ut *genus* est, pluribus repræsentandis est applicabile. Verbo ut dicam, comprehensio *prædicabilis* est prædicabilitas, & secundum hanc *genus* est *prædicabilis* species; comprehensio *generis*, qua talis, est extensio Idearum, sive genereitas, & prædicabile propterea non secundum suam comprehensionem sed secundum suam extensionem est generis species, *h. e.* Ideæ communi genereitatis subjicitur hæc ista vel alia particularis genereitas, *v. g.* *prædicabilium*, & è contra omnis particularis prædicabilitas subjicitur Ideæ prædicabilitatis in communi. Responsio.

Totum quod hic alicui minus cogitanti, & ingenio parum Metaphysico prædito negotium facessere possit, est, quod prædicabile pro objecto habeat Idearum extensionem, & simul habeat suam extensionem, ita ut *genus* secundum suam naturam, sive primo intentionaliter sumptum subjiciatur *prædicabili*, & *prædicabile* primo intentionaliter sumptum sit genus *generis*; *prædicabile* autem secundo intentionaliter sumptum, sive secundum suam extensionem sit species *generis* primo intentionaliter sumpti. Quæ tamen contradictio nulla est, nec difficultas rem seriò perpendenti. Præcipua causa dubitandi.

XXV. Quod

XXV.

Genus primo intentionaliter ſumptum definitur. Obj. ctio.

Quoad alteram controverſiam, quæ ſcænam claudet, dicimus *genus* primo intentionaliter ſumptum vel genereitatem ipſam per definitionem explicari. Idem de ſpecie dictum puta.

Sed regerunt nonnulli, *genus* primo intentionaliter ſumptum eſſe hoc, iſtud, vel aliud particulare genus, hoc autem, iſtud, vel aliud particulare genus, non definiri, verum genus in communi.

Reſponſio

Reſpondeo, hoc iſtud, vel aliud particulare genus non eſſe *genus* in communi primo intentionaliter ſumptum, ſed ejus objectum; *genus* etenim in communi eſt Idea repræſentans omnia genera, qua talia, quæ Idea cum definitur, definitur ſecundum ſuam naturam ſive comprehenſionem; quando autem aliquid ſumitur, aut definitur ſecundum ſuam naturam, vel prout in ſe eſt, tunc ſumitur aut definitur ſecundum primam intentionem, ſive primo intentionaliter. Reſpondeo ſecundo, trito loquendi uſu venire ſolet, ut dum ea natura definitur quæ per Ideam communem repræſentatur, communis Idea definiri dicatur, ſed impropriè, cum natura repræſentata ſemper diſtinguatur ab Idea repræſentante. Verum quicquid ſit, quando genus, definitur, vel Idea communis generis, in prima intentione ſumpta definitur, vel ipſa natura generica etiam primo intentionaliter ſumpta.

Concluſio totius diſſertationis

Hactenus, quæ multis haud ſpernendis ingeniis nunc & olim inſuperabilia viſa fuerunt, quantum in me eſt clara, facilia, & cuivis ſcientia Metaphyſica vel leviter tincto accomoda ſatis reddere conatus ſum. Et quicquid de certitudine & perſpicuitate ſuarum demonſtrationum jactent *Mathematici*, quibus ſummos hoc nomine, & meritò, honores attribuo; hæc mihi tamen, quæ diſſerui, non minus, imò ſi quid magis fieri poſſet, multò magis certa, clara, multoque faciliora videntur. Capiunt qui capere poſſunt. Qui nil ſupra vulgus ſapere ſtudent, ſuis delectentur crepundiis, ſuis paſcantur quiſquiliis: mens autem ſublimior evolet in altum, altiora ſapere conabitur, nam Aquila non captat Muſcas.

F I N I S.

COROLLARIA.

Ex quavis Philoſophiæ parte excerpta.

Ex Logica.

I. Falſum & fallax eſt tritum iſtud Axioma, *Propoſitiones Indefinitæ* in *Materia neceſſaria* ſunt *univerſales, in contingenti vero particulares*: Ut & alterum iſtud ejuſdem Naturæ, *Propoſitiones indefinitæ in Materia doctrinali* ſemper ſunt *univerſales, in Materia verò facti particulares.*

II. Converſio, quæ dicitur per Contrapoſitionem, non eſt omnino Converſio.

III. Syllogiſmorum Figuræ, ſi Definitio deſumatur a ſola diverſa Diſpoſitione *Termini Medii* cum Extremis, quatuor præciſe erunt, totidem, ſi deſumatur a ſola diſpoſitione *Termini medii* ſecundum ordinem Præmiſſarum: Sin vero utriuſque reſpectus habeatur, octo erunt diſtinctæ Figuræ.

IV. Axioma iſtud Syllogiſticum, ſæpius decantatum, *ex falſis Verum, ex Veris nil niſi Verum* eſt longe falſiſſimum.

Ex Metaphyſica.

I. *Metaphyſica* eſt Scientiarum omnium naturalium Baſis & Fundamentum, nec ea deſtituto, vel latum unguem progredi licet in cæteris.

II. Datur principium primum abſolute, a quo dependet omnis Cognitio neceſſitatis Propoſitionum, hoc nempe, *Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera.*

Ex Pneumatica.

I. *Spiritus* Eſſentia non conſiſtit in actuali Cogitatione, nec in aptitudine ad cogitandum; an vero actualis Cogitatio unquam a Spiritu ſeparetur, *Problema eſto.*

II. Anima humana non propagatur ex tradúce, ſed a Dèo immediate creatur, Corporique infunditur.

Ex Phyſica.

I. Mundus nec eſſe potuit ab æterno, nec infinite extenſus eſt.

II. Nec Motus ipſe, nec ejus Determinatio, quamvis a diverſis cauſis impellentibus & ad diverſa Puncta perveniant, dici poſſunt compoſita.

III. *Motus* omnino diſtinguitur a vi impreſſa, ut Effectus a Cauſa.

Ex Ethica.

I. *Ratio formalis* Peccati, conſiſtit in privatione, non in aliquo poſitivo.

II. Datur in omnibus quantumvis barbaris, Brutiſque ſimillimis, modo Mentis ſint compotes, aliquod turpis & honeſti diſcrimen.

Ex Politica.

I. Quamvis ad Regnorum & Rerumpublicarum originem, & Subditorum metus, & Utilitas & Conſortii amor una conſpirarint; tamen Principum Prudentia, principalis eadem conſtituendi, & conſervandi cauſa, cenſenda eſt.

II. Præcipuum Regnorum fulcrum & ſtabilimentum eſt mutuus inter Regem & Populum amor: Sublato enim amore, omnia ruunt.